

partem, terras, loca, subditos, gentes vel singulares personas ipsarum seu adherentes, complices, vallitores, vel sequaces alterutrius partis quomodocunque et qualitercunque illata, data, seu facta fuissent; et omnes penas et interesse, in quibus per presentem guerram, vel aliqua hinc retro facta vel commissa fuisset incursum. Facientes sibi invicem et vicissim dicte partes dictis nominibus in predictis omnibus et singulis finem, quietationem, remissionem, omnimodam liberationem et pactum de ulterius non petendo, nec non de predictis omnibus et singulis per acceptilationem et aquilianam stipulationem verbis solepnicis et legitimis interpositas plenaria se se invicem liberando et sibi mutuo et vicissim promittentes bonam et veram pacem predictis non obstantibus perpetuo observare. Et quod occasionibus supradictis, nec aliqua earum nulla in perpetuum lis, molestia, controversia vel requisitio fiet vel movebitur per unam partem contra alteram, vel per singulares personas unius partis contra aliam, vel contra singulares personas alterius partis, adherentes, vallitores, complices, vel sequaces ipsarum partium vel alterius earum in iudicio vel extra, tam de jure quam de facto. Item fuit actum inter dictas partes nominibus predictis, quod omnes captivi, carcerati, et detempti partium predictarum et cujuslibet earum ac subditorum ipsarum partium ubicunque sint, et penes quemcunque capti vel detempti fuerint, et quicunque sint, sive capti sint per ipsas partes vel gentes ipsarum, vel singulares personas, seu stipendiarios ipsarum partium et cujuslibet earum, sive etiam si fuerint detempti in virtute seu potestate ipsarum partium, vel quarumcunque singularum personarum cujuscunque conditionis et gradus sint, libere et sine aliqua redemptione exactione vel impedimento quocunque reali vel personali relaxentur, liberentur et expendantur ac restituantur pristinae libertati. Item fuit actum inter partes predictas nominibus predictis, quod omnes civitates, castra, terre, et loca que tempore inchoationis presentis guerre tenebantur per aliquam ipsarum partium, seu ipsarum partium subditos